

05 A 524

05

A

524



Σὺν τῷ Χριστῷ

Exercitationum Theologicarum

DISPUTATIO I.

Eaq. ἀεὶ ἰερωτικὴν ἔχει & preliminaris,

DE THEOLOGIA
IN GENERE,

In privato proposita Collegio,

Autore ac Praside

IOHANNEFÖRSTERO,

SS. Th.D. & Prof. Publ.

In inclita VViteb: Academia,

Respondente

M. ELIA VRSINO Delitiano.

Ad diem 13. Iulij.

Epist. 2. cap. 2. ad Timotheum.

Ἄπο βρέφους τὰ ἱερὰ γράμματα εἶδος τὰ δυνάμενα
σε σοφίταις εἰς σωτηρίαν διὰ τῆς πίστεως ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

W I T E B E R G Æ

Typis Cratonianis, per Ioh. Gorman.

ANNO M. DC. VIII.

DE THEOLOGIA
IN GENERALE
proposita Collegio



JOHANN GUSTAV
22. THEOLOG. PUBL.
In inclita V. Acad.

RESPONDENS
#24
C. B. W. A. 50





THEMATION.

I.



ANTEquam circum Disputatio-
num, de ipsismet locis Theologicis, in-
grediamur, æquum utiq; est & utile, ut
generalem præmittamus dissertatiuncu-
lam.

II.

Idq; *ως εν προποσεία*, quam quavis
in disciplina maximè necessariam esse
docet Philotophus. 1. Post. c. 1. & alibi.

III.

Complectetur autem hæc Disputatio *προθεωρικη* duas
potissimum partes, in quarum *πρωτη* *πε εισωδη*: in posteriori
πε επασιωση Theologia brevissimè persequemur.

PRIOR PARS DISPUTATIONIS.

IV.

In priori iterum parte discutienda est tum nominis, tum
rei definitio.

V.

In definitione Nominis tria veniunt expendenda.

I.

1. *Ετυμολογια*. 2. *Ομωνυμια*. 3. *Συναωνυμια*.

Definitio No-
minis.

VI.

Ετυμολογια quod spectat: ex primo statim vocis intuitu
apparet; quòd *Θεολογια* sit denominativũ à voce *Θεολογ*.

VII.

Quæ legitur in *Αποκαλυψη* Iohannis, qui ibi-
dem sese expressè vocitat Theologum.

A 2

Quo

IIX.

Quod etiam referri potest illud ex 1. Pet. 4. εἰ τις λαλεῖ: ὡς λόγια ἔθει.

IX.

Ὀμωνομίαν quod attinet: extenditur quidem à nonnullis augustissimū istud nomen ad eam Philosophiæ partem, quæ Metaphysica vel prima Philosophia appellatur ex 6. Metaph. cap. 1. & lib. 11. cap. 7.

X.

Sed hîc accipitur propriè de doctrina de D E O, ex verbo divinitus revelato.

XI.

Quo sensu ei Synonyma sunt, *Studium sacrum* apud Latinos, ἱεραὶ γράμματα (2. Tit. 3, 15.) & Θεωσοφία apud Græcos מְדִינָה בְּתוֹרַת יְהוָה meditatio in Lege DOMINI, פ. 1. apud Hebræos.

XII.

Synonymon Theologi est in V. T. מְדִינָה בְּתוֹרַת יְהוָה 1. Reg. 13, 1. 1. Reg. 17, 19. in N. T. ἀνδρωπῶ θεῶ 2. Tim. 3, 16. Syriacus interpres vertit מְדִינָה בְּתוֹרַת דֵּי אֱלֹהִים filius-hominis-Deorum. ἀνδρωπῶ θεῶ ἀνδρωπῶ 2. Pet. 1. ult.

XIII.

II.

Definitio rei. peccatorem, ex verbo DEI, informans ad eternam beatitudinem recuperandam.

XIV.

Exquisita & solida hæc est definitio constans genere, & loco differentia, mentione eorum, quæ constitutionem disciplinæ practicæ ingrediuntur.

XV.

I.
Genus definitionis.

Genus est prudentia. Theologia quippe non est disciplina Theoretica: sed practica. Non enim in nuda & pura scientia acquiescit: sed præter γνώσις requirit etiam πράξις, ad quam illa à Christiano homine transferenda.

XVI.

Id quod patet ex his & similibus Scripturæ locis: Ioh. 13. Si

Si haec novistis beati estis si **FECERITIS** ea. Iacob. 1. *Sitis EFFECTORES sermonis, & non auditores tantum.* Matth. 23. *Qui in terram bonam excepit semen, hic est, qui sermonem audit & intelligit, qui deniq; fructum quoq; reddit ac FACIT.*

XVII.

Idem συγκαταψηφισμῶ suo comprobant Patres Orthodoxi, imprimis verò Ignatius ἔλεγεν μόνον, inquiens, ἀλλὰ καὶ εἶναι ποιεῖ χριστιανὸς; & Iustinus Martyr: Non in verbis sed in **FACTIS** res religionis nostræ consistunt.

XIX.

Perperam igitur à Calvinistico quodam Doctore definitur, Θεοσοφία Πτισήμη τῶν λογίων ἔ θεῶ, inscitè eò traducto illo Salvatoris. Matth. 22. Πλανᾷθε μὴ εἰδότες τὰς γραφάς.

XIX.

Genuinus enim & ultimus vel architectonicus Theologiae finis non consistit ἐν τῇ γνώσει; sed ἐν τῇ πράξει.

XX.

Quæ πράξις vicissim vel in *Fide*, vel in *Vita* exercetur.

XXI.

Ad quæ duo summa πράξεως θεολογικῆς genera commode & concinnè etiam reduci possunt quatuor scripturae utilitates ab Apostolo enumeratae, 2. Tim. 3.

XXII.

Et Ignatius Epist. 7. perquam scitè: τὸ ὅλον πίστις ἢ εἰς θεὸν καὶ ἀγάπη πρὸς τὸ ὁμόφρον. Tota Theologia nihil est aliud quàm Fides in **DEVM** & Dilectio in proximum.

XXIII.

Apostolus quoque gentium huc respicit; dum à milite Christiano requirit *Fidem* & *bonam conscientiam*, tanquam duo σκέλη, quibus Christianismus noster insistit. 1. Tim. 1, 18, 19.

XXIV.

Est vero disciplina practica (παχυλῶς καὶ ἐν πλάτῃ accepto vocabulo) vel ars vel prudentia.

XXV.

Theologiam esse artem propriè sic dictam, nemo sanè qui iudicij facile affirmaverit; præsertim cum constet, quòd praxis theologica non valeat ex opere operato; sed includat *μεγαλειαν* Voluntatis.

XXVI.

Atque hoc est, quod ubique *SPIRITVS SANCTVS*, ad cultum religiosum Deoq; placentem, *COR* efflagitat.

XXVII.

Quia igitur Theologia non est ars; relinquitur utique quòd sit *Prudentia*; non autem prudentia huius seculi: sed *DEI* vel *SPIRITVS DEI*, 1. Cor. 2. *Nos vero non Spiritum mundi accepimus sed SPIRITVM qui EX DEO, ut sciamus quæ à CHRISTO nobis donata sint, quæ & loquimur non sermonibus, quos docet humana sapientia; sed quos docet SPIRITVS SANCTVS spiritualibus spiritualia comparantes.*

XXVIII.

Quò referri possunt Scripturæ loca, quæ de spirituali huiusmodi prudentia propriè loqui videntur. Matth. cap. 10. *ESTOTE PRVDENTES* Et in 1. Cor. 11. Vobis tanquàm *PRVDENTIBVS* loquor. Et passim in libro Proverbiorum Salomonis.

XXIX.

II. Differentia Definit.

Hæc de genere in definitione posito: expendamus jam quoque differentiam: cuius vicem sustinent tria *μέγην ου συστηνόμε* cuiusque disciplinæ operatrici.

XXX.

Quæ sunt: 1. *Finis*. 2. *Subiectum*. 3. *Media*, per quæ finis in subiectum introducendus.

Vide Zabar. l. 1. de methodo c. 6. & lib. 2. c. 9.

XXXI.

Placet singula ordinè explicare; sed breviter, ac methodo analytica.

XXXII.

Quæ, ut & intellectus operationis à fine incipit. Finis verò Theologiæ est *recuperatio æterna beatitudinis.*

I. Finis Theologie.

Ad



XXXIII.

Ad hanc enim homo primitus fuit à DEO ter Optimo
Maximo cōditus, juxta hæc theologemata maximè ἀξιόλογα.
Esa. 43. *In GLORIAM meam* (inquit I E H O V A H)
creavi eum. Sap. 2. *DEVS creavit hominem inextermi-*
minabilem (ἀφθάρτον, Lutherus vertit *zum ewigen Leben*)
& *ad imaginem virtutis suæ.*

XXXIV.

Atqui per lapsum τῶν πρωτοπλάστων summum illud bo-
num donūq; (proh dolor!) ὀλοκλήρως amisimus, adeoque ex
statu perfectionis & excellentiæ in statum peccati & miseriæ
translati sumus. De quo Rom. 5. *Per unum hominem pecca-*
tum in mundum introijt (εἰσῆλθε) *ac per peccatum mors, & sic in*
omnes homines mors pervasit (διῆλθε.) Rom. 3. *OMNES*
peccaverunt & destituuntur GLORIA DEI. Eph. 2.
Eramus Filij iræ. XXXV.

Ut verò ex statu peccati in statum gratiæ, & ex hoc in sta-
tum tandem gloriæ postliminiò quasi reducamur, à Deo sanè,
qui summè est (a) φιλένθρωπος, nostraq; (b) salutis cupidis-
simus, (c) εὐδοκίᾳ quadam singulari, sacra ordinata est Theo-
logia. (a) Deut. 32, 3. Tit. 3, 4. (b) Iohan. 3, 16. 1. Tim. 2, 4.
(c) 1. Cor. 1, 21.

XXXVI.

Cujus finis, ut jam modò dictum, ad quem ea aspirat u-
nicè, est salutis amissæ recuperatio, perinde ut & Scripturæ
universæ. 1. Tim. 3. Paulus hortatur Theologum celebrem
Timotheum: *Attende tibi ipsi & doctrinæ. Nam si id fece-*
ris te ipsum SERVABIS & eos qui te audierint. 2. Tim. 3.
A puero sacras literas nosti, quæ te POSSUNT ERV-
DITVM REDDERE AD SALVTEM, &c.
Iohan. 20. *Hæc scripta sunt ut credatis, quod IESVS est*
CHRISTVS ille Filius DEI, & ut CREDENTES
VITAM HABEATIS per nomen ejus.

Eaq;

XXXVII.

Eaque hinc in regno Fidei incoatur per (d) lætitiã in SPIRITV SANCTO: illic in regno (e) Speciei in omnem cõsummabitur æternitatem per (f) intuitum DEI αὐτοθεόστατον.

(d) Rom. 14, 17.

(e) 2. Cor. 5, 7.

(f) 1. Cor. 13, 12.

1. Ioh. 3, 2.

XXXVIII.

De quo (g) Augustinus: Videbimus DEVM sine fine: amabimus sine fastidio & laudabimus sine defatigatione. Et (h) Gregorius. Sola Deitatis visio nostra refectio.

(g) August. l. de civit. Dei, l. ult. c. ult.

(h) Greg. l. 31. mor.

XXXIX.

2. Subjectum
Theologia.

Subjectum in quod finis isthic longè augustissimus introducendus, est homo peccator.

XL.

Tò peccator τὸν τῆς σκέψεως, id est, modum considerandi hominem in Theologia determinat. Consideratur enim idem quoque alijs in disciplinis v. g. in Ethica, Politica & Oeconomica, itemque in Jurisprudencia; diverso autem considerationis modo.

XLI.

In Theologia verò subjectum istud alioquin commune, per τὸ peccator, limitatur ac restringitur, adeoque disciplinæ huic proprium, & æquatum redditur.

XLII.

Theologus quippe circa hominem occupatur, quatenus est peccator, & quidem quatenus ex statu peccati in statum æternæ gloriæ reducendus. Quò pertinent hæc Scripturæ dicta notatu digna:

I. DE CHRISTO Architheologo.

Esa. 61: SPIRITVS DOMINI super me, eò quod unxerit me: ad annunciandum mansuetis misit me,

ut

ut mederer contritis corde & predicarem captivis indulgentiam & clausis apertionem. Matth. 9. *Non veni ad vocandum justos: sed PECCATORE S ad pœnitentiam.*

2. De Ministris CHRISTO succenturiatis.

Ioh. 20. *Sicut misit me Pater: ita & ego mitto vos.*

Item: *Quorumcunque remiseritis peccata.*

1. Timoth. 5. *Peccantes coram omnibus argue.*

1. Thess. 5. *Agnoscite Fratres LABORANTES IN VOBIS* (κοπιῶντες ἐν ὑμῖν Luth. Die an Euch arbeiten.) & præsunt vobis in Domino & admonent vos.

XLIII.

Ceterum ad omne subjectum operationis alioquin requiritur δύναμις θεϊκή, vel, ut finis, qui in id introducendus, sit capax.

XLIV.

Sed huic Theologiae subjecto nulla prorsus ejusmodi vis & facultas suapte natura inest. ψυχικὸς enim ἀνθρώπος & (NB) δέχεται τὸ Ἅγ. πνεῦμα & θεῶν, μαρτῖα γὰρ αὐτῷ ἐστὶ, καὶ (NB) ἔδυναται γινῶναι. 1. Cor. 2.

XLV.

Non est quidem subjectum illud ἀλογον καὶ ἀψυχον; sed in rebus tamen divinis planè ἀχρηστον καὶ ἀεργον, lapide & trunco præsstantius, quia ἔλλογον; sed & utroq; deterius, qui ex se nihil potest, quàm ἀνίστασθαι.

Vide τὸ ἐνωλικὸν art. 2 qui est de libero arbitrio.

XLVI.

Est igitur illud Theologiae subjectum merè παθητικὸν & per se finis introducendi capax minimè.

XLVII.

Omnis autem nostra ἰκανότης est ex Deo juxta illud πολυθρύλλητον; *Non sumus ἰκανοὶ ex NOBIS IPSIS cogitare quicquam, tanquam ex NOBIS IPSIS, sed ἡ ἰκανότης ἡμῶν ex DEO.*

XLVIII.

Agit autem Deus nobiscum non ἐνθουσιαστικῶς ἢ ἀμέσως: verum ὀργανικῶς καὶ ἐμμέσως.

B

Atq;

3. Medium
Theologia.

XLIX.

Atq; hoc sanè est medium illud sanctissimum & ab ipso-
met autore salutis nostræ D E O institutum, per quod homo
peccator, à Theologo, ex regno Diaboli, in regnum CHRI-
STI ad æternam beatitudinem reduci potest ac debet. Id
quod planè ἀποδείκνυσι confirmant hæc illustria Scripturæ
testimonia. I. Cor. 1. *UISUM EST DEO* (εὐδόκησεν ὁ Θεός)
per stultitiam prædicationis SALVO S facere credentes.
Rom. 1. *Evangelium est potentia DEI ad SALVTE M*
omni credenti. Ioh. 8. *Amen, Amen dico vobis, si quis ser-*
monem meum servaverit NON GVSTABIT MORIEM
in æternum. Luc. 11. *BEATI* qui audiunt sermonem
DEI, & custodiunt illum.

L.

Gravissimè igitur errant inq; Suenckfeldianorum & A-
nabaptistarum castra transitum rectà meditantur Zvvinglio-
Calviniani, qui Verbum DEI δυνάμει & ἐνεργείᾳ isthac σωσι-
νῆ spoliant, eamq; illi, in scriptura tribui *ejus tantum* coho-
nestandi gratia, asserere non verentur.

Gryn. in disp. de min. spir. & disp. de Eucharist. contro-
versia Anno 1584. die 4. April. Heidelbergæ habita thes.
6. aph. 4.

LI.

Duo autem sunt verbi divini genera ἀντιδινημένα teste
ipso met CHRISTO Marc. 1, 15. Luc. 24, 47.

LII.

Quæ licet toto invicem cælo differant, quoad θεωρίαν:
in πράξει tamen Theologica intimè conjuncta sunt, mutuaq;
invicem tradunt operas: ideoq; etiam locis jam allegatis à
summo nostro Doctore conjunguntur, tanquam illi duo baz-
culi (ⲙⲉⲛ & ⲙⲏⲃⲏ) quibus gregis Dominici pastoribus
simul utendum, Zach. 11.

LIII.

Ceterum ut medium istud suam Theologo præstet utili-
tatem longè utilissimam, requiritur: 1. ἔξωσ κήσῃς & 2. ἔξωσ
ἀφ᾽ ἑσῃς. Ad

LIV.

Ad utramq; plurimum faciunt tria veri Theologi *θεολογία* 3. Theologi *θεολογία* *θεολογία* quæ Phosphorus Theologorum Lutherus ex *ψ. 119.* *θεολογία* depromit, suoq; exemplo omnibus Theologiae studiosis summè commendat.

LV.

Imò summus quoq; noster Doctor & Pontifex IESVS CHRISTVS ipsemet eadem *θεολογία* ipso facto abundè comprobavit in illa *διαβολομαχία*, Matth. 4.

LVI.

Primum est *Oratio*. De qua Iacob. 1. *Si cui vestrum deest sapientia, postulet à dante DEO omnibus simpliciter, nec exprobrante, & dabitur ei.* Lutherus verò: Dimidium studij verba precantis habent.

LVII.

Exemplo hac in parte nobis prælunet: duo reges omnium sapientissimi, inq; Theologiae studio exercitatissimi, versatissimi. Alter est Davides *ψ. 119. v. 10. 12. 18. 26. 27. 33. 63. 66. 73. 124. 125. 135. 144. 169.* Alter Davidis Filius Salomon, 1. Reg. c. 3. c. 9. Sap. 8. 9.

LIX.

Secundum est *LECTIO* sive *Meditatio*, ad quam Apostolus Timotheum cohortatur, 1. Tim. 4. *Attende LECTIONI*, exhortationi, doctrinae.

LIX.

Quantâ autem diligentia istud fieri debeat ac deceat: docet & monet Vir ille verè *θεορρήμων καὶ θεοδίδακλος* B. Pater Lutherus Tom. 5. Ien. f. 125. in enarratione Psalmi 117. & Tom. 8. f. 43.

LX.

Adminicula, quæ hanc ad rem conducunt, potissima sunt: 1. Concinna lectionum distributio. 2. Aptæ locorum communium digestio. 3. Eorum, quæ in sacris literis leguntur, expedita ad locos relatio. 4. Conveniens ordinis & methodicatio. 5. Crebra & assidua repetitio.

B 2

Ter-

LXI.

Tertium *θεωρημενον* Theologi est *Tentatio*. Etenim qui non tentatus, qualia scit: Syr. c. 34. Et 2. Cor. 1. de fine suarum afflictionum sic differit Apostolus: *DEUS* *Somnis consolationis, consolatur nos in omni afflictione nostra, IN HOC, UT POSSIMUS CONSOLARI* eos, qui sunt in omni afflictione, &c.

LXII.

Atque hæc etiam de definitione Theologiæ reali. Vnde planum & perspicuum esse arbitramur, quod ea sit *ἀνταρτηρῆς*, suoque definito undiquaque adæquata.

Refutatio de-
finitionis ali-
cujus Philoso-
phi Calvinia-
ni.

LXIII.

At quia rectum, Philosopho teste, non modò est mensura sui: sed etiam obliqui: instituta jam *ἐφαρμόσθαι* facilè deprehendi potest, quid de definitione cujusdam Philosopho-Theologi, alioquin non incelebris & ineruditi, sit judicandum.

LXIV.

Definitis Theologiam, quod sit Prudentia religiosa ex revelatione divina perveniendi ad salutem.

LXV.

Duo sunt in hac definitione, quæ meritò atro notantur calculo. 1. Quia *ἐλλείπει*, id est, manca est ac mutila, nec complectitur ea omnia, quæ ad *σύνταξιν* disciplinæ practicæ pertinent.

LXVI.

Primò enim nulla fit mentio Subjecti. 2. Nec medium, quo Finis Theologiæ propositus obtineri potest, exprimitur.

LXVII.

Deinde, quòd hæc inserta sint verba: *ex revelatione Divina*, quæ 1. *ἀεὶσέως*. 2. ambigua sunt & obscura, & quemadmodum ipsemet ejusdem architectus confitetur, *bifariam* intelligi possunt. 3. Enthusiasticum & Suenckfeldianum quiddam continere videntur.

LXVIII.

Quid? Ipsemet autor ejusdem eò alludit, in istius definitioni-

definitionis suæ explicatione, dum dilertè ait: per verba illa intelligi *singularem vim & operationem SPIRITVS SANCTI* in cordibus singulorum Electorum.

LXIX.

Dicere autem habitum Theologiæ effici ex revelatione Divina, singulari vi & operatione S.S. & tamen nullam planè facere mentionem verbi Divini, quod ordinariū est Spirituales operationis medium & instrumentū, teste Scriptura & Augustana Confessione: an non hoc resipit Enthusiasmum & Suenckfeldianismū, vel potius Suenckfeldio. Calvinismum.

art. 5. de ministerio Verbi.

LXX.

Calviniani enim æquè ut Suenckfeldius *immediatam, quandam revelationem* sibi somniant, & identidem efficaciam, à medijs divinitus ordinatis, sacrilegè divellunt.

Theaurus Orth. Fid. Bas. excusus, anno 87. in classis 3. lib. 2. de fide in genere thesi. 2. Fidem omnem in hominibus efficit SPIRITVS SANCTVS sive per vocem doctrinae celestis, sive per immediatam revelationem.

Calv. inst. l. 4. c. 16. dist. 19. In multorum vocatione Deus usus est interiore modo, quo SPIRITVS SANCTI illuminatione, nulla intercedente prædicatione, vera sui cognitione donavit.

LXXI.

Rejicimus igitur meritò definitionem illam Suenckfeldio Calvinianam; planè ut illud, quod Autor ille affirmare quoq; audeat; *DEVM absolutè & contemplativè in Theologia non considerari: sed in Metaphysica. O misera DEI contemplatio, quæ ex Metaphysica, & non ex Theologia desumitur; & non ex verbo DEI & juxta verbum DEI instituitur!*

LXXII.

Sed finis tandem esto priori hujus Disputationis parti, in qua definitio τῆς σοφίας Theologiæ continens, fuit explicata:

B 3.

ta:

ta: jam in posteriore ejusdem parte breviter perstringenda
restant *τε ἐπισιώδη.*

POSTERIOR PARS DISPVTATIONIS.

LXXIII.

Quorum potissima sunt: 1. Linguarum notitia. 2. Phi-
losophiæ cognitio. 3. Patrum lectio. 4. Historiæ Ecclesiasti-
cæ perlustratio.

LXXIV.

1. Linguarū
notitia.

1. *Linguarum & quidem inprimis Græcæ, Hebraicæ, & Chaldaicæ notitiæ* Theologo necessaria est, propterea quòd Sacræ literæ hisce linguis primitiis sint descriptæ. Scriptura autem *secundum cuiusq; linguae proprietatem intelligenda est,* uti monet præclarum illud Augustini: *lib. de vera rel. c. 49.*

Et c. 50. quod etiã 1. p. Decr. dist. 38. Can. 14. citatur. Locutio divinarum Scripturarum secundum cuiusq; linguae proprietatem accipienda est. Habet enim omnis lingua sua quædam propria genera locutionum, quæ cum in aliam linguam transferuntur, videntur absurda.

LXXV.

Quid? Ipsemet sacrosanctæ Scripturæ Autor Psal. 68. gravissimam isthanc instituit adhortationem.

בְּמִקְרָאֵי לֹאֵלֹהִים בְּרָכּוּ אֱלֹהִים אֲרָנֵי מִמְקוֹד יִשְׂרָאֵל :

In congressibus laudate DOMINVM de FONTE ISRAEL.

LXXVI.

Lutheri iudicium de linguarum studio qui expetunt, legant tom. 2. Ger. Ien. f. 231. & a f. 474. usq; ad fol. 477. Inprimis vero locum maximè memorabilem ex enarratione Psalmi 45. qui in fine *Ἰεσων* ascribetur.

LXXVII.

2. Philoso-
phiæ cog-
nitio.

2. Theologum *Philosophiæ cognitione* instructum esse oportere, non modo crebra rerum Philosophicarum merito evincit: sed idem quoq; Apostolicæ exigunt exhortationes, quibus jubemur: *Ὁρδοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας καὶ τὰς ἀνὴλέ-
γοιτας ἐλέγχειν.* 2. *Tim. 2, 15. Tit. 1, 15.*

Nec

LXXIX.

Nec adversatur nobis Apostolus Col. 2, 8. ubi, Philosophiam cavendam esse, videtur affirmare.

LXXIX.

Sed partim ex sententia antecedente: *ἵνα μὴ τις ὑμᾶς παραλογίζῃ ἐν παιδαγωγία*: partim ex vocibus *κενῆς ἀπίτης*, per *ἐπεξηγήσιν*, proximè additis, meridiano sole clarius elucet quòd, Apostolo sermo non sit de vera & genuina Philosophia, quæ *in sua consistens sphaera & dominatum in Theologia* non affectat: sed de Sophistica, quæ hoc loco Apostolo est *παραλογίζεσθαι παιδαγωγία, καὶ κενὴ ἀπίτη*.

LXXX.

Vnde & Augustinus in lib. de mor. c. 27. hanc sententiam citans ita interpretatur, ut dicat, Apostolum cautè loqui, ne ab amore sapientiæ deterrere viceatur.

LXXXI.

3. Lectionem Patrum quod attinet, ea sanè non exiguam Theologo affert utilitatem. Qui enim in ijs studiosè versatus fuerit, eum illorum scripta *διδασκικὰ* in docendo & confirmando copiosum, *ἐλεγγικὰ* in refutando argutum, *ἐξηγητικὰ* in explicando & interpretando promptum & expeditum efficiant.

LXXXII.

Patrum autem nomine veniunt Doctores Ecclesiæ, qui à tempore Apostolorum usque ad octingentesimum à partu virgineo annum vixerunt, sacramque Theologiam tradiderunt.

LXXXIII.

Distribui possunt in tres classes generales, *ratione concilij Niceni*, quod celebratum fuit, anno 325, quarum primæ ascribimus eos, qui floruerunt ante istud concilium. In secundam referimus illos, qui circa illud concilium extiterunt. Tertiæ deniq; accensemus eos, qui post concilium Nicenum in Ecclesia docuerunt.

LXXXIV.

Qui ante concilium istud claruerunt, partim Græci, partim Latini extiterunt.

3. Patres.

LXXXV.

Ex Græcis ante concilium Nicenum vixerunt hi potissimū septem: 1. Iustinus Martyr. 2. Athenagoras. 3. Tatianus, 4. Irenæus. 5. Theophilus Antiochenus. 6. Clemens Alexandrinus. 7. Origenes Adamantius.

LXXXVI.

Ex Latinis autem hi præcipuè quatuor. 1. Tertullianus. 2. Cyprianus. 3. Arnobius. 4. Lactantius.

LXXXVII.

Circa Concilium Nicenum floruerunt in primis ex Græcis Athanasius & Eusebius: Ex Latinis verò Hilarius.

LXXXVIII.

Post Concilium læpius iam nominatum docuerunt ex Græcis Basilus, Nazianzenus, Epiphanius, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Theodoretus, & denique Damascenus. Ex Latinis autem Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, qui quatuor vulgò quatuor Patrum Columnæ appellantur; quibus, licet in duodecima demū floruerit centuria, annumeramus Bernhardum.

LXXXIX.

De lectione Patrum hæc παραφάσεις κριτικά teneantur.

XC.

1. *Iudicio præstantissimorum Theologorum, Patrum omnium optimos lectuq; dignissimos esse Athanasium, Cyrillum, Augustinum & Damascenum, quibus nos adjungimus Bernhardum.*

XCI.

2. *Patres non sunt ἀπόκριτοι, sicut Scriptura: sed eatenus tantum fides eorum scriptis adhibenda, quatenus ea sunt ἀνάλογα Sacræ scripturæ, ut pote quæ unica est norma & regula articulorum Fidei. Vide dist. 9. par. 1. Decr. Grat. c. 3. 4. 5. 8. 9. 10.*

XCII.

3. *Ideoq; nefas est, à manifestis Scripturæ testimonijs provocare*

vocare ad Patres. Non enim in præceptis Patrum: sed DEI
ambulare jubemur. Ezech. 20.

XCII.

4. Patres tantum faciunt *πρὸς τὸν συνκαταψηφισμὸν*, id est,
consensum saltem Ecclesie, in articulis Fidei, ostendunt.

XCIII.

5. In Patribus occurrunt multæ stipulæ & navi, qui vel
commoda interpretatione ex alijs eorum Scriptis sanandi;
vel eorum affectibus, aut temporum injuriæ ascribendi;
vel pallio caritatis obtegendi.

XCIV.

Patribus merito accensemus scripta B. Lutheri, quæ o-
mnium omnino Patrum epitomen rectissimè appellaveris.
In ijs quippe medulla & succus optimus ex Patrum libris ex-
pressus continetur.

XCV.

Distinguendum tamen est inter Lutheri *scripta priora* &
posteriora.

XCVI.

Priora vocamus ea, quæ ferè annis 16. 17. 18. 19. 20. ab ipso
fuerunt edita, quibusq; aliquid fermenti Papistici adhuc im-
mixtum.

XCVII.

Ideo etiam Megalander iste, pro candore suo vere theo-
logico, in præfatione 1. Tom. operum suorum apertè orat
lectorem, ut illas lucubrationes suas priores *cum judicio* le-
gat, imò cum magna miseratione, & sciat, se quoque olim
fuisse monachum, & insanum Papistam. *Tom. 1. Germ. Jen. f. 2.*

XCIIIX.

Posteriora verò ejus scripta plenè sunt *εὐλικρινῆ καὶ ἀκίβδη-
λα*, & quidem partim *διδασκικὰ καὶ ἐξηγητικὰ*: partim *πολεμικὰ,
καὶ ἐλεγκικὰ*.

XCIX.

Inter *ἐξηγητικὰ* maximè excellit commentarius ejusdem
in Genesin: ejusq; *ἄσμα κύκνειον* de ultimis verbis Davidis,
quod habetur 8. *Tom. Jen.*

C

Ἐλεγκικὰ

*Hebraea lingua opus erit. Scio enim quantum mihi contra
meos hostes profuerit. Quare pro hac quantulacunque co-
gnitione infinitis millibus aureorum carere nolim. Et vos
quoque dabit is operam, qui aliquando docebitis religionem, ut
hanc linguam discatis, si non pecora campi, & indoctum vulgus
haberi vultis, quod, editis Germanicis libellis adjutum, ut cunq;
Evangelia Dominicalia & Catechismum docet. Sed opus etiam
est Ducibus quibusdam doctrinae, & oportet habere Pugnatore-
res, qui stant in acie contra aliarum nationum & linguarum
homines, qui sint Doctores, Iurices & Ma-
gistri in hac lingua.*



Soli DE o gloria.



1017

ca
o-
s
it
us
7/2
m
m

05 A 524

ULB Halle 3
004 209 478



Wolff





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

B.I.G.

Farbkarte #13



Σὺν τῷ Χριστῷ

Exercitationum Theologicarum
DISPUTATIO I.
Eaq. μετὰ θεωρίαν ἔπ' προληπτικῆς,

DE THEOLOGIA
IN GENERE,
In privato proposita Collegio,
Autore ac Praside

IOHANNEFÖRSTERO,
SS. Th.D. & Prof. Publ.
In inclita VViteb: Academia,
Respondente

M. ELIA VRSINO Delitiano.
Ad diem 13. Julij.
Epist. 2. cap. 2. ad Timotheum.

,, Ἀπὸ βρέφους τὰ ἱεργὰ γράμματα οἶδας τὰ δυνάμενα
,, σε σφίσει εἰς σωτηρίαν διὰ τὴν πίστιν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

WITTEBERGÆ
Typis Cratonianis, per Ioh. Gorman.
ANNO M. DC. VIII.

